



Sigebertus insigni eruditione & pietate extitit. Itaq; apud Germanos Rheni accolas Christū prædicauit, atq; Ecclesias à Barbaris dissipatas aliquo modo restituit. Vnde Moguntinensis Ecclesiæ pastor electus fuit circa annum Christi 500, cū Clodouæus magnus Francorum regnum ingenti gloria administraret. Habebat Sigebertus Vuilhildin sororē, cuius filia Mechtildis Hetano duci Frācorum desponsata fuit. Cum aut̄ ille mortuus esset, Mechtildis uidua sese ad auunculū Moguntiam recepit, atq; Monasteriū Altenmunster suis sumptibus ædificauit. in quo etiā magna pietate Christo uixit. Itaq; Ecclesia Moguntinensis eius

opera recreata fuit. Postea uerò etiā Clodouæus Christianā religionē professus est. Vnde & ipse Sigebertū ob plurimas uirtutes adiuuit, atq; in eo Episcopatu confirmauit. Cum hoc modo piē suā Ecclesiam institueret, tandē moriēs apud antecessores absq; pompa sepultus fuit. Anon. in Mogunt. Episc.